

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
ODONTALGIA

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DN. JOANNE JVNCKERO
MEDICINAЕ DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORDIN. PRACTICO ORPHANOTROPHEI ET
PAEDAGOGII FELICISSIMO
PATRONO PRÆCEPTORE ATQVE HOSPITE SVO OMNI PIETATIS
CVLTV ÆTERNVM DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. *JVN. M D CC XLVI.*
PUBLICO ET PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITIT

RESPONDENS
JOANNES FRIDERICVS ANDREAS SCHVLTZE
BERNBVRGO - ANHALTINV.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

1710. 1711. 1712. 1713. 1714.

ODYSSEIA

IN
TWO
VOL.
BY
JOHN
ADDISON
M.D.CC.XX.

WITH
A
NEW
INTRODUCTION
AND
NOTES
BY
THOMAS
DE
QUINCEY,
M.A.



BY
GEORGE
DODGE

WITH
A
NEW
INTRODUCTION
AND
NOTES
BY
THOMAS
DE
QUINCEY,

IN
TWO
VOL.
BY
JOHN
ADDISON
M.D.CC.XX.

WITH
A
NEW
INTRODUCTION
AND
NOTES
BY
THOMAS
DE
QUINCEY,

IN
TWO
VOL.
BY
JOHN
ADDISON
M.D.CC.XX.



PROOEMIVM.

Inter varia ista morborum varii generis symptomata, quibus actiones tam naturales & vitales, quam animales & rationales diversimode laeduntur, nullum certe frequentius atque communius, sed nullum insimul molestius acerbiusque facile occurrere solet, *dolore*, quem in tactus depravatione non male posuerunt veteres. Amplissima autem est dolorum familia, quorum alii artus modo extremos vexant, ut *chiragra*, *gonagra*, *podaera*; alii ventrem infimum maxime occupant, quo præter *malum* istud satis dolorificum, *hypochondriaco* - *hystericum*, *interne*, *colica*, *stranguria*, cum *dysuria* & *ischuria*, renum quoque & vesicæ *calculus*, & quæ sunt reliqua, *externe* autem, *nephritis spuria* & *malum ischiadicum* maxime pertinent;

A 2

alii

PROOEMIVM.

4

alii medium premunt cavitatem, ut in partibus internis *asthma* atque *incubus*, *pleuritis* atque *peripneumonia*, *paraphrenitis* & ipsa *cordis palpitatio*, in externis vero *pleuritis* *spuria*, & si alias partes musculares occupet dolor, *rheumatismus*; alii denique caput ipsum atrociter infestant, ut *Hemicrania*, *Cephalgia*, *Cephalea*, *Ophthalmitia*, *Otalgia*, *Odontalgia*, & plura alia dolorum genera. Ex amplissima autem horum dolorum familia nullus ferme frequentior, immo nullus facile atrocior occurrit, ipso *dentium dolore*. Omnes enim homines cuiuscunque ætatis, temperamenti, vitæ generis, conditionis & regionis fuerint, aliquando quidem mitius adgreditur, aliquando vero vehementer satis *torquet*, immo tam atrox subinde & crudelis est, ut non male CELSVS Lib. VI. Cap. IX. eum maximis tormentis adnumerandum esse judicet. GALENVS autem, & ex paullo recentioribus THONERVS & SALMVTHVS, aliquique plures, probe observarunt, quosdam tantis dentium doloribus afflictos fuisse, ut præ atroci horum dolorum vehementia vel penitus examinati, vel ad furorem & insaniam redacti fuerint. Præterea iste dolor adeo est contumax, ut saepe medicorum consiliis auxiliisque in consilium vocatis, omnem plane ad certum temporis momentum respuat medelam. Quid mirum itaque, quod apud priscos Ægyptios, qui totidem habuerunt Medicos, quotquot sunt corporis humani partes, peculiares etiam dentium Medici fuerint constituti. Ita enim refert HERODOTVS in Euterpe: *Medicina apud Ægyptios hunc in modum distribu-*

Scributa est, ut singulorum morborum singuli sint Medici, & non plurum. Itaque omnia referta sunt Medicis: alii enim sunt ocularii, curandis oculis constituti, alii capiti, alii dentibus, alii aliis partibus, alii morbis occultis. Et sane etiam in nostris regionibus plures hodie occurrunt circumforanei, quorum alii operatores, alii oculistæ, alii vero dentifrangibili, aliquique Zahnkünstler, salutari malunt. Dolendum quidem est, quod eiusmodi circumlatoribus, qui præter levem istam encheiresin, dentes satis cito, si modo semper satis tuto, evellendi, nihil prorsus didicerunt, non solum ab hominibus plebejis, sed & ab optimatibus nonnunquam, in variis oculorum dentiumque morbis curandis plus, quam par est, fidei habeatur. Sed optandum quoque esset, ut & Medici, in rite dijudicandis & congrue tractandis dentium doloribus, debitam ubique adhiberent circumspectionem, & Chirurgi in quacunque odontalgia, sive symptomatica ista fuerit, sive idiopathica, non statim ad evulsionem dentium confugerent. Tanta enim apud veteres dentium fuit dignitas, ut plumbeum odontagogon, seu forcipem dentarium, in APOLLINIS templo suspenderent, ne posteri eos evellerent prius, quam cariosi & summe mobiles plumbeo instrumento evelli possent. De Turcis autem refert MENAVIVS, illos Chirurgis suis olim interdixisse, ne sine impetrata regis licentia dentes extraherent. Verum ad rem ipsam accedamus; & in explicanda *Odontalgia* eam nobis legem dicemus in præsentí, ut ex Scholis *Anatomico-Physiologicis* ea præmittamus, quæ ad melio-

rem morbi nostri intelligentiam necessaria esse videntur; deinde vero in ipsam huius *mali indolem* atque causas paulo penitus inquiramus; tandem etiam ex triplici artis salutaris fonte, *Diatectico*, *Chirurgico* & *Pharmaeutico*, ea breviter in medium proferamus remedia, quæ tam ad præcavendam, quam mitigandam, penitusque removendam, dolorificam istam dentium sensationem, ab experientia & ratione potissimum comprobantur. *Faxit Deus feliciter.*

§. I.

Nominis explicatio.

Id quod Græci una quidem, sed composita quadam voce, ex ὀδες dens, & αλγεω doleo, *odontalgiam* adpellare solent, & hac ipsa ratione, tam locum affectum, quam symptoma ipsum, GALENO præcunte, apte satis exprimunt; illud admodum *ανυγεια Podagrum dentium* dixit STROBELBERGERVS, in peculiari hoc de argumento tractatu. Quamquam enim uterque affectus unum idemque agnoscat genus, dolorem nempe, seu tristem animæ sensationem, ex intentata continua solutione oriundam; parte tamen affecta maxime a se invicem differunt *Podagra* & *Odontagra*. Quæ vox, licet hoc sensu in usum non recepta sit, (HIPPOCRATI enim denotat οδονταγρα volvellam e bellendis dentibus idoneam, quare alii vocabulo latino - græco *Dendagra* uti maluerunt) facilius tamen tolerari posset, quam ridicula illa *dentium Podagra* denominatio. Latini vel retinent istam vocem

cem Græcam Odontalgia, quemadmodum plura vocabula græca in Romanam Civitatem receperunt; vel duobus verbis, *dolore dentium* indicant, quod Germani, ad Græcæ linguæ imitationem, uno itidem, sed composito nomine vocant **das Zahmweh, die Zahnschmerzen.**

§. II.

Antequam vero de ipsa hujus *adfectus indole, Dicendorum subjectis, signis atque causis* distincte exponamus, *ratio & ordo.* quod secundum erit nostræ dissertationis momentum; de ipsorum *dentium natura* pauca quædam præmittamus, tum plenioris doctrinæ gratia, tum quod præternaturalis cuiuslibet partis affectio recte cognosci nequeat, naturali eius constitutione vel ignorata, vel in obscuro collocata. Ne autem nimium forte excrescat dissertatio inauguralis, ea quidem, quæ de dentium *ortu, tempore & materia generationis*, de illorum *mutatione, excisione & renascentia*, inter Physiologiae Doctores, inter Anatomiae auctores autem, de varia dentium *figura, ordine, numero, nominibus & figura* porro disputari solent, quoniam ad meliorem affectus nostri diiudicationem curationemque parum vel nihil plane conferunt, lubenter præteribimus; quemadmodum etiam de *triplici dentium usu, ciborum masticatione, distinctiore sermonis formatione, orisque ornatu & venustate, prolixiores esse nolumus* hoc loco. Ea vero, quæ ex Anatomicorum & Physiologorum Scholis hic breviter modo repetenda nobis erunt, ad quinque reducemos capita, & *primo* quidem

quidem loco de dentium natura *osseō-lapidea*, secunda de illorum cum maxillis & gingivis nexus *arctissimo*, tertio de variis dentium vasis, arteriis, venis, atque nervis, quarto de interna dentium cavitate & materia mucoso-membranacea ibi contenta, & quinto denique de dentium sensu eorumque continua nutritione, paucis exponamus.

§. III.

Dentium de-
finitio.

Completemur hæc momenta omnia sequenti dentium definitione: *Dentes sunt partes corporis ossæ, ex substantia duplice, una durissima & quasi lapidea, altera molliori ossea tamen constantes, maxillarum alveolis per gomphofis inarriculatae, intus cavitate quadam, membrana, variisque vasis instructæ, sensu & nutritione prædictæ, in usum masticationis, melioris loquæ, orisque ornatus a natura efformatae.* Parum ab hac ipsa dentium definitione, quam ex B. nostri HOFFMANNI Historia dentium physiologice & pathologice, inaugurali quadam dissertatione pertractata, in medium produximus, ea quidem differt, quam RVDOLPHVS GVILIELMVS CRAVSIVS, Cæliberrimus quondam apud Jenenses Medicus, in Diff. de dentium sensu, hunc in modum dedit: *Dentes sunt ossa duritie peculiari prædicta, per γομφωσιν, συνενωσιν & συστακτων, hoc est per membranas nerveas & vincula item per gingivarum carnem, radicibusque suis alveolis maxillarum infixa & firmata, sed extra gingivas prominentia sua nuda, ad ciborum comminutionem, seu masticationem in primis a natura in homine forma-*

formata. Perlustrabimus dentium naturam per singula momenta, & statim quidem de substantia illorum *duplici*, tam *ossea*, quam *lapidea*, paragrapho sequenti breviter dicemus.

§. IV.

Vtrum in *ossum* civitatem recipiendi sint *dentes*, *osco-lapides*
disputant autores. Plurimi negativam cum HIPPO-*dentium sub-*
CRA TE amplectuntur sententiam, ex ea quidem ra-*stantia.*
tione, quod multas habeant qualitates, ossibus ceteris non communes, sentiant nimirum, peculiari polleant duritie, nascantur extra uterum, crescant perpetuo, evulsi renascantur, & quae sunt reliqua. Sed recte monet B. noster HOFFMAN. l. c. quod dupli-
dentes gaudeant substantia, *exteriori* quidem *durissima* & *quasi lapidea*, utut de natura lapidis non partici-
pet, id quod solutio chemica facile ostendat, *altera* vero *molliori*, vere tamen *ossea*. Durissima & quasi lapidea illa pars, quae sub vehementiore attritu & con-
cussione cum ferro scintillulas edit, observatur modo in illa portione dentium, quae extra gingivas promi-
net, & instar corticis & involucri investit osseam den-
tis partem, radices quippe dentium, quae in alveolis & sub gingivis latitant, *ossea* tantum naturae; unde etiam non tam candidi *splendide* coloris sunt, quam externa illorum pars prominens a tegmine. Nec frustra gaudet externa dentium pars lapidea quasi du-
ritie; ita enim ab omni iniuria & laesione externa immunis, non solum incisioni & confractiōni alimen-
torum duriorum eo melius inservit, sed & interio-
rem,

rem, osseam dentium partem, qua propter poros laxiores facile dissolvi & consumi posset, externe quadam cortice durissima tegit, ne forsitan particulæ acres corrosivæ ciborum, illam ipsam lœdant atque destruant. Experientia quippe constat, quod haec ipsa pars dentium ossea in carie maxime adficiatur & lœdatur, cortex autem raro ab acri succo corrosivo penitus consumatur. Deinde differt etiam silicea dentium *pars corticalis* exterior ab interiori ipsa structura, in illa enim obliquo situ in circello terminantur striae; altera autem interior, & præcipua, qua dentes constant, pars, ex multis fibrarum planis secundum longitudinem sibi firmiter superinductis, constructa est. Patent singula plana resolutione facta per longam ossium macerationem; integræ namque ossæ reticulares bracteæ eveluntur. Plura de hac controversia dabit, quem itidem laudavimus, R. G. CRAVSIUS l.c. addatur SEBITZIUS in disputacionibus de *dentibus*; & MICH. SENNERTVS in dissert. de eodem argumento.

§. V.

*Maxillis quam
nam ratione
infigantur
dentes.*

Dentes ad unum omnes maxillarum finibus, quos *alveolos*, *fossulas* & *præsepiola* vocant, *cuneorum* seu *clavorum* instar, beneficio conclaveationis, quam *gomphosin* adpellare solent Anatomici, firmissime infiguntur; ut nequaquam vacillent, aut commoveantur, in duriorum ciborum comminutione. Nonnulli ut *incisorii* & *canini* dentes, una modo radice, alii vero, ut *molares*, duabus vel pluribus radibus

cibus maxillarum alveolis immittuntur. Ipsæ autem dentium radices ligamentis membranaceis, nerveis, cinctæ, loculis suis affiguntur firmiter. Porro dentes ambit & unit *gingivalis substantia*, quæ caro est dum ex fibrosis lamellis, iuxta se positis, conflata, infinitis vasculis sanguineis intertexta, unde etiam rubidine intensa fulget; præterea copiosis membranulis, glandulis atque nervorum ramis scatet, unde sensilis est, & subinde humiditate irrigata observatur. Hæc vero instar valli dentes cingit, & instar muscularum illos roborat, unde gingivali carne vel exesa, vel nimis relaxata, aut flaccida reddita, dentes facillime vacillant & excidunt. Nonnullorum dentium radicibus, in specie in maxilla superiore, una cum membrana, quæ radices & illorum partem, quæ obvelata est, investit, aliquid duræ & carneæ gingivarum substantia communicatur, per quam dentes eo firmius in loculamentis suis affixi & annexi sunt. Et quamvis dentes, monente CLOPTON HAVERS in *Osteologia*, de communi periostro haud participant; alveoli tamen eo gaudent, & cum ipsa membrana, quæ dentes contegit, coalescit, ut unam quasi constituere videatur.

§. VI.

Non unius generis *vasa* ad dentes feruntur, arteriae, vene, & nervi. Arteriae quidem ab externarum carotidum ramis, tam anteriore, quam posteriore, oriuntur. Anterior surculus ad aurem dividitur, ramulumque quendam ad maxillam superiorem emit-

tit, qui dentibus superioribus infert. A *posteriore* autem arteriae binæ sub aure maxillam inferiorem ingrediuntur, & secundum eius longitudinem in omnium dentium inferiorum radices disseminantur. *Binae* sunt a *angulari interna* in duos ramos, *externorum* & *internorum*, divisæ; ab *interniori* suos habent dentes superiores omnes, ab *externiore* autem inferiores. *Nervi* tam superiores, quam inferioris maxillæ, non quidem a *tertia nervorum coniugatione*, quod veteres voluerunt, sed a *quinto nervorum parti*, quod *divisum* hodie appellatur, originem suam trahunt. Idque iam suo tempore agnovit RIOLANVS, qui *Antropograph. Lib. IV. Cap. II.* quintam nervorum coniugationem in maiorem & minorem surculum dirimit. Maior, inquit, foramen auditorium, seu *cochleæ extremum subit*, ibique terminatur; minor vero per aquæ ductum FALLOPPII devectus, per foramen, inter *styloidem* & *mastoideum apophysin latitans*, in fauces delabitur, obiter in aures & buccas transmissis surculis, sed maiori sui parte radici dentium, lingue & laryngi distribuitur. Recentiores vero Anatomici, *quintum* par nervorum, *divisum* dictum, in tres ramos dispergiunt. *Primus* quidem exiguis, ad glandulas oculorum, palpebras, musculos nasi & frontem abit. *Secundus* surculos dimittit in faciem, nasum, labia, palatum & dentes; huic iungitur quidam nervulus septimi paris, pro formando nervo intercostali, & aliis septimi pro chorda tympani. *Tertius* per os *cuneiforme* ad maxillam inferiorem, musculos vicinos & linguam tendit.

dit. Hæc vasa arteriosa, venosa & nervosa, dum dentium cavitatem intrant, de qua statim plura dicemus §. subsequenti, tam sensum, quam nutritiōnem dentibus conciliant.

§. VII.

Cavitatem quandam in ipsis *dentibus* reperiri, facile patescit, quando dentem secundum longitudinem per medium dissecamus, ubi singulas dentis radices, cavitate quadam donatas esse luculenter observamus, eaque satis insignis est in ipsa basi, seu parte dentis, quæ ex gingivis eminet. Deprehenditur in ista dentis cavitate, præter membranam nerveam, dentem intus vestientem, substantia quædam mucosa, membranacea, seu succus quidam mucosus, forma vesicæ oblongæ ex tenuissimis vasis sanguinibus membranis nerveis, glutinosa quadam substantia compitus, qui etiam usque ad extremitatem dentis pertingit, ibi membranulis quasi magis constrictis, quodammodo durior & rubicundior apprens. In pueris, notante id EVSTACHIO, in *peculiari de dentibus tractatu*, cavum hoc referunt est materia mucosa, circumsepta membrana, quæ, quoad exteriorem superficiem, rubicunda, interius magis alba adparet; & hic ipse mucus tandem convertitur in ipsam dentium substantiam, & genuinum illorum nutrimentum existit. Quo magis autem dentum substantia solidescit ac firmior evadit, ut in adultis, eo pauciorem deprehendimus mucum, & vice versa in infantibus, quorum dentes ex tenuibus lamellis constant, eo copiosior reperitur.

B 3

§. VIII.

§. VIII.

Dentium sensus & nutritio.

Ex iis, quæ de variis dentium vasis, arteriis venis atque nervis §. VI. de materia autem mucosa, in dentium cavitate intrinseca contenta, §. VII. in medium produximus, tum de *dentium vario sensu*, tum de illorum *nutritione*, ad finem vitæ usque continua da, facile nobis constare poterit. Sentiunt dentes, non quatenus sunt substantiæ osseo-lapideæ, sed quatenus illorum radices, tam intus, quam extus, membrana quadam nervea investiuntur, immo ipsi nervorum surculi, cum vasis sanguineis & lymphaticis, ex observatione THEODORI SCHENCKII, per porulos dentium minimos, in hominis adulti, præsertim *incisoris & caninis*, vix conspicuos, in maioribus autem brutis, bove, aliisque a DIEMERBROCKIO saepius observatos, ipsam dentium cavitatem ingrediuntur. Cumque ramulus quinti nervorum paris, *divisi* nempe, cum septimo, quod *acusticum* vocatur, ad chordam tympani abeat; facile patet ratio, cur limarum strepitu dentes stupeant, & baculo, dentibus uno extremo prehensō, altero autem terræ infixo, adventantis e longinquō accessus auditu facile percipiatur. Quemadmodum vero nec oculus videt, nec auris audit, ut vulgo quidem loquimur, sed mens; ita facile adparet, non membranam istam nerveam sentire in dentibus, sed principium istud vitale, dum varias istas mutationes in membrana nervea contingentes, per sensum tactus animadvertisit. Ad ipsam vero *dentium nutritionem* quod attinet, materia illa mucosa & glutinosa, in cavitate dentium obvia, de qua antea diximus,

mus, verum præbet dentibus pabulum ac alimen-
tum, quo crescunt, extenduntur, & soliditatem acqui-
runt. Originem habet ista materia mucosa alimen-
taris ex ipso sanguine, & advehitur ramulis arteriola-
rum minutissimis, ex carotide externa oriundis, per
ipius dentis poros. Revera enim ossea dentis partes,
ut reliqua ossa nutriuntur succo, qui per poros adve-
hitur, & successive concrescit. Quando autem den-
tes vel deficiunt, vel excidunt, succus ille pro dente
augendo in alveolum vacuum delatus, ipsum ossea
substantia replet, gingivali carne etiam duriore red-
dita, ut dentium vices aliqua ex parte supplere possit.

§. IX.

Sed sufficiant hæc, de dentium osseo - lapidea natura, de illorum cum maxillis & gingivis nexus ar-
ctissimo, de dentium vasis, arteriis, venis, nervis, eo-
rumque cavitate & materia inibi contenta, deque il-
lorum sensu & nutritione, in antecessum breviter dis-
seruisse. Pergimus nunc ad ipsum dentium dolorem,
quem in oppositione ad *hemidiam* istam, seu *dentium*
stuporem ab acerbitate, vel aciditate fructuum horæo-
rum nondum maturorum, dentibus inductum, qui
peculiare quoddam genus doloris est, sensus nempe
magis obtusus, quo præsente alios cibos sine dolore
manducare non valemus, *odontalgiam* adpellare sole-
mus. *Veteres* definint *odontalgiam*, quod sit tristis
sensatio partium membranarum in dentibus, pro-
veniens a solutione continui, introducta a re conti-
nuum violenter & confertim solvente. *Recentiores* secundum re-
paullo centiores.

*Transitus ad
ipsum den-
tium dolorem.*

*Odontalgia
quid secun-
dum veteres.*

paullo distinctius rem exprimunt, quando *Odontalgiam* vocant: dentium dolorem præcipue molarium, vel potius membranae nerveæ, *periostium* dictæ, dentium radices circumcingentis, interdum a nimia sanguinis copia, dictam membranam premente, interdum vero ab eiusdem inflammatione, aut dentium carie, originem trahentem. Celeber. nosfer PRÆSES in conspectu medicine theoretico-practicæ, Tab. de *odontalgia*, sequentem nobis exhibet definitionem: *Odontalgia est periostei & partium nervosarum, ad dentes tendentium, inflammatio, a congestione sanguinis incompleta, hemorrhagiam narium eminus respiciente, nullum autem exitum inveniente, originem dicens.* Ex ipsa autem differentia, quam statim addit, quod *odontalgia* alia fit *idiopathica*, quæ a carie, vel erosione dentium dependeat, & solos dentes occupet, alia vero fit *symptomatica* vel *sympathica*, quæ motibus humorum versus caput congestoriis, præcipue hemicranicis, vestigia legit, & præter dentes non raro etiam confinia loca occupat, facile adparet de symptomatica odontalgia hanc definitionem magis valere, quam de idiopathica, quamquam hæc quoque non plane excludatur.

§. X.

Nos sequentem, ex mente veterum & recentiorum Medicorum, dabimus definitionem: *Odontalgia est tristis animæ sensatio, ex qualicunque partium nervosarum, intra & circa dentes occurrentium, laesione proveniens.* Generis loco ponimus tristem animæ sensationem, in eo enim doloris ratio formalis, ipso iam monen-

Nostra odontalgia definitio.

Eius genus.

monente GALENO Lib. II. de loc. aff. Cap. II. proprie consilit; hinc minus recte vulgo definitur dolor: continui solutio. Quamquam vero *intentata continua nervosi solutio*, ansam dare possit molestæ atque dolorificæ animæ sensationi, eaque ut in reliquis dolorum generibus, ita etiam in *odontalgia*, per varios motus tendentes, prementes, pungentes, vellicantes, vibrantes, & sic porro, sepe manifestet; tamen neque in continuo, neque in continua solutione, sed in ipsa animæ sensatione molesta & ingrata dolor proxime deprehenditur. Et hinc veteres *dolorem ad actionem tactus depravatam* recte omnino retulerunt, quod supra iamiam diximus, quia sensationis naturalis depravatio adest. Licet enim obiectum tactile percipiat, quale est; attamen quatenus excedit limites & formam naturalis sensus, & ut molestiam & tristitiam inferens percipitur; eatenus illa actio depravata esse dicitur. *Conf. SENNERTVS Instit. Med. Lib. III. part. III. Sect. I. Cap. VI.*

§. XI.

Reliqua definitionis verba: *ex qualicunque partium nervosarum, intra & circa dentes occurrentium, lesionе proveniens, dum partem nostri doloris affectam potissimum exprimunt, specificam odontalgia*, ab odontalgia, cephalgia, ophthalmia, hemicrania, alisque capitibus doloribus *differentiam*, clare satis exhibent. In eo enim hi affectus omnes facile conveniunt, quod sint motus congestorii versus caput, narium fluxionem, vel rubram vel albam, respicientes eminus;

*Differentia
specifica.*

C

pro

pro ipsa autem partium affectarum diversitate, diversas obtinent denominaciones. *Duplicem* autem esse *odontalgiam, idiopathicam, cuius sedes in ipso dente carioso deprehenditur, & symptomaticam, quae vel aliis morbis ut symptoma aliquando iungitur, vel confectionem humorum ad caput factam, vel immediate sequitur, vel concomitatur, sedemque suam non tam in ipso dente, quam potius circa dentem in maxillis & gingivis occupat, antea iam dictum est §. IX.* Ceterum dentium dolor alius est intensus, acutus, punitivus, tensivus, alius vero remissus; alius est vagus alius vero fixus; alius est continuus, alius interpolatus, certisque recurrens periodis; alius est recens, alius vero antiquus. Et hæc dolorum genera variant pro subiecti ipsius maiori vel minori sensibilitate.

§. XII.

*Dentes an do-
hant.*

Ita quidem loquimur cum vulgo: dens dolet, manus dolet, pes dolet; sed sentimus hac in re cum eruditis. Mens dolet, quando obiectum aliquod peregrinum, violentum & præternaturale, vel in membrana ita nervea, dentes tam intus, quam extus quoad radices saltim, investiente, vel in ipsis nervorum surculis, cavitatem dentium, ingredientibus, molestum & ingratum animadvertis. Quemadmodum vero in *symptomatica* vel *sympathica* ita *odontalgia*, quam sanguinis congestio versus has partes producit, maxime patiuntur gingivæ, & periorum alveolos maxillæ, & membrana dentis radicem cingens, quando a sanguine irruente vasa infarciuntur, partesque mem-

membranaceæ nerveæ tenduntur, premuntur; vnde hoc in casu difficulter satis determinare valemus, quiam dens præcipue doleat, sed ordinarie dolorem per dimidium malæ, aut maxillæ diffusum sentimus. Ita in *odontalgia idiopathica*, quæ dentis erosionem & cariosam eius corruptionem pro causa agnoscit, modo radicis periostium, modo interior, modo exterior membrana nerveo-vasculosa, subiectum doloris speciale constituit, prouti nempe caries specialissimam dentis particulam, exteriorem, aut interiore, occupavit. Ceterum quamvis dentes omnes & singuli obnoxii sint doloribus, magis tamen id experientur, qui & profundiores possident radices, & plures, quod molaribus præcipue competit, unde ad hos potissimum mali labes derivatur, ibique contumacius urgent cruciatus, & diuturnius utplurimum.

§. XIII.

Odontalgiam idiopathicam varia incurrere possunt individua, sine respectu ætatis, temperamenti, sexus, aut cuiuscunque conditionis. Omnes nempe ac singuli, qui dentium carie adficiuntur, sive acrioribus dentifriciis pro dealbandis, vel metallicis instrumentis, pro mundificandis dentibus, abutantur, sive etiam radices post evulsionem, aut cariem dentium in gingivis remanserint. *Symptoma* Æ autem vel *sympathica* *odontalgiae* præsertim obnoxii sunt homines plethorici, inaxime vero iuniores, quorum consuetæ narium hæmorrhagiae emanferunt; *feminae* inordinato vel suppresso mensium fluxu laborantes, præsertim vero

*Quibus homi-
nibus maxime
doleant dentes.*

C 2

gravi-

gravidae, rarius autem viri, quorum uxores gravidae sunt, quod tamen aliquoties observavit ex recentioribus NENTERVS; viri, quibus haemorrhoides legitime non fluunt; foeminae pariter ac mares, qui consuetas venæfæctiones & scarificationes neglexerunt. Tandem etiam hoc pertinent, qui nati sunt a parentibus eodem malo, vel arthritico spasticis insulibus affectis, vel qui sub aestu febrili orgasticam sanguinis commotionem patiuntur, atque ita tunc temporis plethora commota laborant.

§. XIV.

*Signa odontalgia diagno-
stica.*

Quamquam vero dentium dolor *ipso sensu* aliquando admodum vehementer, acuto, punctorio, tenfivo, circa dentium molarium radices præcipue torque, satis superque se prodat, ipsa quoque *dentium caries* partim in excretione tetri coloris, adversique odoris materiae, partim vero visu tactuque facile fiat manifesta; occurunt tamen plerumque alia symptoma, admodum molesta, e. g. adpetitus imminutus, vel si aliquando adpetitus sibi constet, alimentorum in ore præparatio valde impedita, pavores, vigiliae, motus convulsivi, inquietudo, dolor capitis gravatus, cum pulsatione carotidum vehementiore, frequens salivatio & excretio multæ pituitæ, pro diueritate subiectorum, vel pallor, vel rubedo faciei, sapor in ore falsus, dentium stridor, & quæ sunt reliqua. Imprimis autem in statu graviori gingivarum malorumque inflammatio, cum tumore, rubore & calore præternaturali observatur; immo febris aliquando, vel motus

motus saltim febriles, vehementem dentium dolorem concomitantur. Non tantum vero dolor per qualesunque dentium & gingivarum regiones excurrit, sed & interdum ad interiore aurum cavitatem sese extendit, ipsamque *otalgiam* secum trahit in consortium. Nonnunquam dolor acutissimus integras occupat maxillas; ita observavit WEDELIVS dolorem dentium, cum maxillæ dolore, circa acetabulum suum tam immanem, ut præter ipsum dolorem, maxilla quasi ex situ videretur mota, & æger neque edere potuerit, nec loqui, nec os aperire, immo tandem opus fuerit adhibere oris diductorium.

§. XV.

Licet autem dentium dolor molestus magis sit, *signa prognostica.* quam lethalis; per accidens tamen, si vel plane negligeratur, vel, quod saepe fieri solet, perverse & incongrue tractetur, satis quidem *periculus* fieri potest, præser-tim si nervorum surculi, radices dentium ingredien-tes, a vermis nonnunquam, ut in carie dentium, aliisque putridis rebus indesinenter vellentur. Un-de caput non solum, sed & totum corpus, nervosum-que genus aliquando trahitur in consensum, motus accedunt convulsivi, & si malum diutius protrahatur, vires saepe corporis penitus exhauriuntur. Quem-admodum vero *odontalgia idiopathica*, quæ ab erosio-ne & carie dentium oritur, nonnisi palliativam ad-mittit curam, nec plenarie cessat, nisi dente vel usfo, vel evulso; ita *symptomatica*, si recens fuerit, facilius curatur, quam si habitualis, inveterata & periodica

C 3

facta

facta sit. Quo frequentius enim congestiones humorum versus certa quædam loca contingunt, & motus abeunt in consuetudinem; eo difficilis aliorum derivari, vel satis tuto penitus compesci possunt. Hinc mirandum plane non est, quod ipsi dentium dolores, ut bene monet Celeb. noster PRÆSES, aliquando ad Medicorum scandala transeant, ita ut patientia magis, quam medicamentis, nisi forte sympatheticis, superari debeant. Tumor autem in gingivis, aut maxillis, aut in buccis obortus doloris dentium solutionem præfigit.

§. XVI.

*Vnde orientur
dentium do-
lores.*

*Ex mente ve-
terum.*

Diximus in definitione, quam de *odontalgia* dedimus §. X. tristem istam animæ sensationem, quam dentium dolorem adpellare solemus, provenire, *ex qualicunque partium nervosarum intra & circa den-
tes occurrentium lesionē*. Læduntur autem partes nervosæ, ex mente & sententia veterum *immediate* per *solutionem continuū*, quoniam in serie ista causarum dolorem excitantium, hæc ipsa ultimam constitutat, inter quam & dolorem nihil amplius intercedat. Sed recte insimul illi ipsi monent, per solutionem continuū, non eam semper intelligendam esse, quæ in facto est, & soluta unitatis nomine venit, v. g. a vulneratione, vel plaga quadam inficta, sed eam maxime, quæ est in fieri, a quacunque demum cauſa ea inducatur, e. g. *vellicatio, tensio, ac irritatio membranosi & nervosi generis*. *Mediate*, sed *proximius* tamen, læduntur partes nerveæ, ex doctrina veterum, ab intemperie, quæ vel a cauſa *vaporosa*, vel *humorosa* potissimum intro-

introducitur. A *vaporosa* quidem, quando spiritus flatulentus intra dentis cavitatem & nervulum inclusus, membranulam nervosam violenter divellit, unde dolor atrocissimus ac pene intolerabilis excitari solet. Ab *humorosa* autem, quando humores, qui vel *quantitate* peccant, ut in plethora, vel in *qualitate*, ut in spissitudine & cacochymia, vel in *motu*, tam generali quam locali, partim in maxillarum, dentium, & alveolorum membranis, partim in nervulum, radici dentis insertum, partim vero in ipsam dentis substantiam, ut ex GALENO docet AVICENNA, *conferunt* & cum *impetu* irruant. Verum recte monet LAZARVS RIVERIVS in *Praxi Medica Lib. IV.* Cap. I. *Verisimile esse, dolorem dentium frequentius fieri, in partibus illis exquisito sensu donatis, nervulo nimirum & membranula alveolum succingente, dentiumque radices proxime ambiente, que ab humoribus influentibus, non solum distensionem ac vellicationem, sed etiam interdum inflammationem patiuntur, si nempe sanguis cum aliis humoribus admisceatur.* Tunc enim dolor a duplice causa exoritur *distensione* videlicet, & *compressione*, que fit a dentis duritate, quam ferre non potest sine dolore membranula inflammat. Hanc autem membranulae inflammationem, comitantur ut plurimum gingivæ inflammatio, que ideo a GALENO atque AVICENNA inter causas doloris dentium recensetur.

§. XVII.

Recentiores caussam odontalgiae idiopathice recte ponunt cariem & erosionem dentium, propter quam *Ex mente recentiorum.*
laesio-

læsionem avertendam adfluxus humorum, & hinc stasis inflammatoria contingat. Caussa autem *odontalgiae symptomaticæ* antecedens remota, ipsis est plethora; propior, humorum congestio versus caput, evacuationem sanguinis per nares respiciens; proxima autem seu immediata, est stasis sanguinis inflammatoria, in vasculis sanguiferis per radicum dentium substantiam medullarem disseminatis. Quibus alii, præter dispositionem hæreditariam, & dentium ferotinam nativitatem, varias caussas occasioales seu procatarcticas addere solent, e. g. aerem frigidum, cibos potusque vel calidores vel frigidiores, dulcia, acida &c. Quando enim horum alterutrum vel immediate per dentem cariosum, eiusque foramen aperatum, ad membranam nerveam pertingit, fibrillæ eius afficiuntur, motusque spasticus in illis excitatur, quoniā nervosæ partes minime omnium frigida, acria, & nimis calida preferre possunt. Vel dente quoque nondum penitus perforato, carie ab intra incipiente, per substantiam ipsius corticalem quasi tenuem, frigoris aut nimii caloris sensus penetrat, atque in membra illa nervea motum tremulum concitat, id quod tanto promptius succedere solet in periostio alveolorum, quippe quod externarum caussarum iniuriis magis est expositum.

§. XVIII.

Secundum nostram hac de re sententiam. Nos utrorumque tam veterum quam recentiorum *odontalgiae* caussas commode coniungi posse arbitramur. Læduntur enim partes istæ nerveæ, intra & circa

circa dentes occurentes , vel per modum atque simplicem istarum partium admodum sensibilium præternaturalem *distensionem* atque *compressionem*, unde aliquando ipsa vasculorum dilaceratio contingit, vel per modum *vellificationis* & erosionis membrana ista nervea, quæ dentes & alveolos dentium cingit, læditur. Quando enim portio quædam , licet levior, humoris sanguineo - feroſi , in membrana nerveo-vasculosa ſtaſi ſubieſta, veram & ad ſalfam indolem inclinantem, ſubit corruptionem ; vel acria quædam coroſiva per errorem externe adplicantur; vel acriorum ciborum reliquiae dentibus & gingivis adhærent, quæ ſucceſſive corruptæ & acriores factæ, molliorem ginvivarum ſubtantiam adgrediuntur , eoque ipſo ad perioſtium penetrant, & ipsa dentium ſubtantia læſa, ad interiore illorum cavitatem, eiusque membranam nerveam viam ſibi parant; fieri aliter nequit, quam ut materia iſta acris, immediato quodam contactu, in tenerimas membranæ nerveæ fibrillas agat, ita ut ſub leviore aetu fibrillarum ſpaſticas traſtiones, ſub graviore autem contactu unitatis ſolutionem, utroque vero modo moleſtissimam ſenſationem producat. Hinc recte monet *Celeb. COSCHWITZIVS* in *Organismo & Mechanismo in homine vivo obvio, deſtructo & labefactato, seu in pathologica hominis vivi conſideratione, Part. II. Sect. I. Cap. VII. §. XXX. in Scholio.* Si aliquando in aliqua parte a reſtagnatione ſeri acrioris & ſalſi, per varias excretiones impeditas producta, hoc in motu ſuo ſufflaminatum, adhuc acrius temporis mora redditur; tunc

D

utique

utique non negandum est, quod acrimonia sua partibus nervosis & nervoso-membranosis noceat, easque rodendo quoque afficiat, doloresque graviores efficiat.

§. XIX.

*Contra dentium dolores
remedia.*

Cognitis itaque odontalgiae subiectis, signis atque caussis, tertium superest nostræ dissertationis momentum, scilicet ut de *confiliis & remediis*, tam chirurgicis, quam pharmaceuticis, & diæticis breviter dicamus, quibus *dentium dolores* vel *præcaveri*, vel si iam ad sint, *tuto removeri* possint. Ante autem quam ad practicam hanc partem progrediar, duo momenta, ad felicem huius morbi curationem plurimum valentia, præmittere conveniet. Primum est, multos quidem homines laboriosos dentes habere cariosos, pauciores vero ex iis odontalgiam incurrere. Alterum autem, odontalgiam sine carie dentium, seu symptomaticam, otiosorum plethoricorum idiopathicam frequentia longe superare. Ex quibus egregium porisma rédundat, quod in curandis dentium doloribus potissimum eo respicere debeamus, ut plethora, princeps congestionum plurimarum caussa debite imminuat. Quare ex *fonte chirurgico* primo loco commendamus *venesectionem*, quam multi quidem cum HELMONTIO reiiciunt, nos autem eam tam præservatorie, quam curatorie, in *odontalgia symptomatica*, tamquam optimum, & sëpe præsentaneum remedium, merito laudamus, ea tamen cautione, ut in dolorum *anæmam* non facile celebretur. Hinc recte præcipit RIVERIVS *Lib. VI. Prax. Med. Cap. I.*
Libe-

*Liberalis venæsectio instituenda est, iuxta præceptum
GALENI, qui largam sanguinis detractionem, plenitu-
dini respondentem, omnium dolorum promissimum esse
remedium, adseruit, quod nos, frequentissima experien-
tia, tum in aliis doloribus, tum præcipue in dolore denti-
um, verissimum esse comperimus. Quamquam alii hoc
in casu cum RIOLANO arteriotomiam præferant phle-
botomie. Ita enim ille Lib. IV. Cap. V. Anthropograph:
Notandus, inquit, diligenter surculus a carotide dedu-
ctus, qui auris antitragum perreptat, maxillam supe-
riorem irrigaturus, us singulis dentibus spiritum vita-
lem suppeditet. Per eum ramulum fluxionem in dentes
fieri puto, quia eo resecto, miraculi instar, sedatan vidi
odontalgiam, propter commeatum serosi & acris humo-
ris interceptum. Cucurbitulas scapulis cum scarifica-
tione adhibitas, præservandi scopo maxime commen-
dat WEDELIVS. Alii, quando dolores non statim
ex voto remittunt, ad ipsam dentium evulsionem fu-
giunt, putantes, dens si fuerit extirpatus, ipsum etiam
dolorem extirpari. Sæpius vero suo cum damno
contrarium experiuntur, siquidem dente uno licet
evulso, dolor pergit ad alterum, & hinc iterum ad
alium, donec ægri plane fiant edentuli; multoties
etiam accidit, dolorem a chirурgo minus perito ma-
gis exacerbari quam sedari. Quare licet in odontal-
gia idiopathica, si dentium caries per cauterisationem
removeri non potest, dens cariosus omnino evellen-
dus sit; in symptomatica tamen odontalgia non facile
opus erit dentium extirpatione, ubi potius post lar-
gum*

gam venæsectionem, ex fonte pharmaceutico & dia-
tetico remedia petenda erunt.

§. XX.

In odontalgia idiopathica, si caries dentium vel
per cauterisationem, vel per dentis evulsionem, antea
remota fuerit, ad dolores mitigandos, primum com-
mendamus *pulveres antispasmodicos*, singulis ferme
horis repetendos, deinde *specifica quædam sympathetica*, e. g. *lignum fulmine tactum*, quo STAHLVS
pro dentium scalpro uti solebat, *lignum fraxini* in sol-
sticio collectum, *pulvis sympatheticus*, in cuius solutio-
nem lignum denti adfrictum immittitur, & quæ sunt
reliqua. Symptomatica autem seu *sympathica odon-*
talgu in primis exposcit plethorae per hæmorrhagias
artificiales imminutionem, deinde orgasmi congestio-
rii temperationem, quam per pulverem superius lau-
datum obtinemus, denique dolorum atrocium miti-
gationem, quæ speranda est, si cum pulvere antispas-
modico, satis noto, unum vel alterum granum massæ
pilarum de cynoglossa miscemus, & blandam dia-
phoresin promovemus. Externe intra os calide sumi
potest *decoctum emolliens*, ex rad. Altheæ, flor. Cha-
mom, rosar. nymphæ, papav. cum lacte paratum.
Ad stasin humorum *resolvendam* & *discutiendam* in-
terne conduicunt *catarrhalia*, e. g. effentia succini
cum effentia alexipharmacæ STAHLII maritata, ex-
terne vero camphorata, e. g. spiritus vini camphora-
tus gossypio applicatus, item camphora denti cavo
immediate applicata; porro *decoctum* e radice Jrid.
flor. aristoloch. utriusque &c. cum lacte paratum,
denti-

dentibus saepius calide adhibitum, item epithema ex herb. hyssop. flor. chamomillæ, sambuci, farina secalina calida genis impositum. Ad affluxum humorum revellendum, interne purgantia pro diversitate temperamentorum & cauſarum propinari possunt, ubi M. P. de succino CRATONIS ad quemlibet casum facile determinari potest; externe autem, praeter venæſetionem, aliaque media chirurgica, ex fonte pharmaceutico maxime hoc spectant apoplegmatizantia stricte ſic dicta, e. g. rad. pyrethri, imperator. angelic. herba tabaci, &c. masticata, & per aliquot tempus in ore detenta. Tandem etiam, licet magis circa finem, quam sub initium odontalgia, in subsidium vocari potest ex repellentibus tinctura odontalgica MYNSICHTI, quæ fatis temperata est, & egregii effectus observatur. Ad fontem autem diateticum quod attinet, præservative maxime conducit quotidiana dentium a fôrdibus repurgatio, & frequens oris collutio, ubi modo cavendum est, ne dentifricia acriora corrosiva, vel instrumenta metallica, unde facile dentium caries oriri solet, ad dealbandos & mundificandos dentes adhibeantur. Aeris frigidi iniuriæ vitandæ; caloris & frigoris excessus in cibo potuque abſit; otium cane angueque peius fugiatur; somnus & vigilia non excedant modum; alvus & alia viscera quotidie suo fungantur officio; animi parkemata, præfertim iracunda refrænentur.

T A N T V M.

VIRO

VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
JO. FRIDERICO ANDREÆ
SCHVLTZE
SALVTEM DICIT PLVRIMAM
IOANNES IVNCKERVS.

Si quod unquam est morborum genus, quod miseris mortales exquisitissimo dolore excruciat, certe Odontalgia ad id merito jure est referenda: Morbus enim est haud raro contingens, & pauperum pariter turgurii ac honoratoriorum palatiis inerrans; quare non est, quod miremur, alios atque alios alia prorsus atque alia excogitasse remedia, eaque fere innumera, quibus epidemico huic malo obviam ire conarentur. Verum enim vero quotquot illorum numeres, ei tamen radicatus stirpitusque eradicando haud quaquam fuere paria. Ut enim insanam circulatorum catervam tacet, neque pluribus aliis remediorum auctoribus fundum rei primariisque eiusdem causas penitus introspicere contigit. Quia sanguinis eiusdemque incompletæ congestionis, tamquam principis huius morbi originis respectum plane nullum habuere. Meliori præ multis aliis ingressus es tramire, CANDIDATE doctissime! melioraque contumaci hoc morbo detentis exposuisti remedia, plethorae scilicet consuntionem, ceu consummatissimum, atque maxime universale, tam in idiopathicis quam symptomaticis dentium doloribus auxi-

*auxilium commendans, atque in eo odontalgia adf-
ctis expectatissimum plane solatum exhibuisti. Ha-
beo igitur CANDIDATE Clarissime! quod TIBI de
feliciter examlatissimis studiorum laboribus sincere gratu-
ter. Neque enim præmia TE desérere potuerunt, cum
non solum placitis doctissimorum virorum tam HALÆ
quam JENÆ imbutus, sed etiam propria industria in-
defessoque studio ad interiores scientiarum fontes per-
venire allaborasti; ut inde bodierna luce largissimam
fructuum messem, omnium plausu colligere possis. Que
cum ita sint divina suffultus clementia fausta quævis in
posterum perage atque secunda. Summumque Numen
ulteriores TE experiri iubeat felicitatum cumulos. Ce-
terum, ut facis, me ama, certeque habeas persuasum,
me TVI semper fore observantissimum. Dab. Halæ
in Frideric. quarto Iduum Jun. eIi Icc xxxxvi.*

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
JO. FRIDERICO ANDREÆ
SCHVLTZE

S. D. P.
J. G. P. SEIP, Medicin. Cult. Oppon.

Brevissimum sane tempus est Candidate Doctissime! ex quo aditus mihi
patuit ad TE tuamque familiaritatem multo exceptatissimus. Quo
breuius autem istud quidem fuit, eo maiori cum ardore, ut idem
excolenda benevolentia atque amicitia TVA recte collocarem, alla-
boravi. Et nunquam profecto studi istius mei me panitebit, quippe
tantam

centam ex eo tamque liquidam & puram percepi voluptatem, quantas
quidem verbis exprimere recusat prorsus nimia animi commotio. Inge-
nue quid sentiam fatear. Simulac TE vidi Amice suauissime! & paulo
proprior TECum mihi obligit nexus, nescio sane, quo tandem pacto, quo
secreto vinculo captus, nihil magis in votis haberem optatisque, nisi, ut
arctior quedam liberiorque miseri TECum intercederet consuetudo. Quid
mirum? Tanta est morum tuorum elegantia, Tanta tua modestia, sua-
vitatis denique in doctissimis pariter ac incundissimis Tuis sermonibus tan-
ta, ut qui semel hunc adiuvaverit, TE non obseruat solum sed etiam colat,
non diligit sed amat, ac prorsus in sima suo foreat. Quia cum ita sint,
maximopere letor, quid brevi merita ac virtutes Tuas visuras sim coro-
natas. Etenim quam bene merearis summos in arte salutari Tibi conser-
vendos honores, ut taceam elegantissimum quod iam edisti eruditiois Tiae
specimen, unicuique eorum satis patet (patet autem quanplurimi) qui,
quanta cum diligentia in curriculo Tuo academico Celeberrimis Doctori-
bus operam dederis, quanta cum industria versatus sis in addiscendis
quibuscumque artis medica disciplinis, non sim admiratione obseruavit,
probe nimurum perspiciebas pro ingenio quo polles acumine, non omnino
sufficere, si unius tantummodo alteriusve docti viri placita teneamus,
sed hoc praecipue in accurata rerum cognitione salubre esse ac fru-
storum, si quacumque contrariarum positionum atque opiniorum documen-
ta tamquam in illustri posita intueamur, unde, quod verum sit falsum
videamus, illud amplectemur hoc vero relictiamus. Quam ob rem &
mechanicorum & organicorum scolas sapienter & cum indefesso stu-
dio atque assiduitate frequentasti, quo quid profeceris qualisque Tibi
comparaveris eruditiois rheaurum, id vero illi indicent qui quidem ar-
tis nostra penetralia eiusque intimos recessus perlustrare valens oculo non
heberato. Age igitur Candidate Doctissime! Conscende locum ubi TE
manent premia diligenter Tiae splendidissimas que tantum abest, ut Tibi
quemadmodum contigit multis, sine dedecori, ut potius summum Tibi
ac nunquam peritum concilient ornamentum. Ego vero summum
numen ex animo precor, ut clementissime annuat votis meis, que inco-
lumentatis ac prosperitatis Tiae causa concipio, ardentissimis. Vale & fave,
Dabam Hale d. VIII. Calend. Julii cl b cxxxxvi.



Ha 4713

ULB Halle
003 901 068

3



8v



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

DE

ODONTALGIA

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKER

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORDIN. PRACTICO ORPHANOTROPHEI ET

PAEDAGOGII FELICISSIMO

PATRONO PRÆCEPTORE ATQVE HOSPITE SVO OMNI PIETATIS
CVLTU ÆTERNVM DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. JVN. MD CC XLVI.

PUBLICO ET PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

RESPONDENS

JOANNES FRIDERICVS ANDREAS SCHVLTZE

BERNBVRGO - ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.